



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

350. An, & qualiter nonnisi idoneo & digno fieri possit resignati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

cipis semper intelligatur concessa sine præjudicio tertii, quale per talem derogationem crearetur Ordinariis. Nam concessa derogatione regularum in genere, debet censeri concessa potestas derogandi cuilibet regulæ; cum genus contineat sub se species omnes, & indefinita æquivalet universali. Procediturque id eo attentio, quod in istiusmodi indulto, dum conceditur huiusmodi potestas, solet apponi clausula largissima, nimirum: *quarum omnium & aliarum tenores, etiam si de his expressa mentio facienda esset, &c.* ac si de verbo ad verbum &c. Paris. à n. 14. ubi etiam n. 18. & 19. respondet breviter ad rationes Sarnensia. Primò negando, verisimile non esse, Papam concessisse talem facultatem. Secundò, dum sumus in claris, non esse opus conjecturis desumptis in præfenti à præjudicio tertii.

### PARAGRAPHVS V.

#### Quibus resignari possint beneficia?

*Quæstio 350. An, & qualiter non nisi idoneo & digno fieri possit resignatio?*

1. Respondeo primò: Beneficia non nisi idoneis resignari possunt, alioqui nulla est resignatio. Paris. l. 4. q. 1. n. 2. dicens communem & receptam omnium DD. sententiam. Et ratio est, quia beneficium non potest conferri nisi idoneo. *c. cum in cunctis. de elect.* ubi communiter DD. Unde regulare est, ut in commissione potestatis conferendi, & recipiendi resignationem semper subintelligatur, *dummodo digno*, Paris. loc. cit. n. 4. ex Butrio in c. *constitutus. de concess. præb.* n. 2. habentque ferè locum de resignatione, quæ in hoc puncto idoneitatis providendi idoneis de beneficio dicta sunt de præsentatione, electione, quin & collatione non nisi idoneo faciendis, quæ revivenda pro sequentibus quæstionibus, quibus proinde pleraque non nisi breviter perstringemus. Porro tunc idoneus censetur resignatarius, ubi habebit qualitates omnes, quas beneficium resignatum requirit, intellige, secundum Canonum vel Conciliorum decreta aut statuta specialia, vel denique ex dispositione fundatoris.

2. Respondeo secundò: Capacitas seu idoneitas resignatarii debet adesse à principio, & non juvat, si postmodum superveniat. Paris. n. 10. juncto n. 13. & 14. cum communi, id dein variè exemplificans. Unde si (dum resignatio fit in Curia) à principio tempore datæ & consensûs extensis à tergo supplicationis erat incapax, resignatio nulla est, nec convalidatur per supervenientem habilitatem. Paris. n. 13. citans Anchar. in c. *si eo tempore. de rescrip.* in 6. n. 2. Gloss. *ibid.* v. *effectum.* Rotam in *Glasquin. Præceptorie* 23. Martii 1547. Idecirco resignatarius adeptus postmodum habilitatem, non poterit consequi illud beneficium resignatum, nisi novo consensu (intellige resignantis) & novâ Papæ provisione. Paris. loc. cit. n. 19. dicens sic censuisse Rotam, & hanc opinionem servari in praxi.

3. Respondeo tertio: Resignans in favorem indigni peccat. Paris. l. 4. q. 11. n. 34. citans Ro-

doan. de *simon. mentali.* p. 2. c. 10. n. 6. Soto de *justit. & iure.* q. 6. a. 2. Navar. *rr. de orat. miscellan.* 38. n. 7. & in *Man. c.* 23. n. 107. Rebuff. in *pr. ad reg. de infirmis.* gl. 14. n. 3. ubi etiam dicat, teneri talem ad interesse Ecclesiæ. Etsi enim resignantes non sint collatores, neque conferant illa, sunt tamen causa conferendi illa, & sic sunt causa damni illati Ecclesiæ. Paris. cit. q. 11. n. 35. Et quidem peccat mortaliter procurando hac ratione per suam resignationem, ut promoveatur indignus. Paris. *ibid.* n. 37. Neque verum est, quod Papa admittendo resignationem in favorem indigni videatur tollere peccatum, quod est in resignante, quemadmodum tollit simoniam; quia illud in pactis recedentibus simoniam speciale est, quod tollatur simonia per admissionem Papæ. Paris. n. 35. juncto n. 38. Neque verum est, quod Papa providendo de illo beneficio huic resignatario indigno videatur cum eo dispensare. Paris. loc. cit. n. 34.

*Quæstio 351. Qualiter resignatario reperito idoneo & reprobato provideatur beneficium?*

Respondeo: De hoc actum satis supra in quæstione, qualiter resignatio conditionalis inducat vacationem, potissimum ex Loterio l. 3. q. 14. ubi etiam n. 63. quod, si resignatarius reperitus inhabilis per executorem rejicitur, beneficium providebitur rursus ex vacatione per resignationem, utpote necdum consumpta.

*Quæstio 352. An resignatarius in favorem teneatur resignare magis idoneo?*

Respondeo negativè, sive, necesse non esse, ut quaratur, vel etiam assumatur dignior seu magis idoneus; sed sufficit, resignare digno, etiam præterito digniore. Azor *instit. mor.* p. 2. l. 6. c. 15. q. 10. contra Paris. l. 4. q. 11. n. 39. tenentem, peccare talem resignantem, non secus ac eum, qui omisso digniore eligit aut præterat minus dignum, pro quo citat plurimos; quamvis *ibidem* n. 43. tradat, non peccare resignantem, dum resignat in favorem æquè digni, ac ipse est; eò quod, cum ipse poterat retinere hoc beneficium, non peccet, si procurer, ut conferatur ei, qui æquè dignus est ac ipse; sicuti Doctor, qui potest legere per seipsum non peccat, sed satisfacit substituendo æquè peritum. Resignans enim non eligit, sed jus suum, quod in beneficio habet, in alterum Superioris consensu transfert, & alium in locum suum substituit. Adeoque satis est, si dignum substituat, seu etiam subroget æquè dignum & aptum (intellige, modò tamen ipse resignans dignus sit & aptus) ac se, etiam si alius suppetat dignior & magis idoneus. Neque enim hac ratione violet justitiam distributivam, quia bona Ecclesiæ communia in plures non dividit, sed rem suam in alterum transfert legitimâ Superioris auctoritate. Neque commutationem, cum non noceat Ecclesiæ procurando illi ministrum idoneum, Azor loc. cit. ubi etiam, quod idem fit in permutatione, seu de eo, qui beneficium suum cum altero permutat, nimirum, quod satis sit, si compermutans ille sit dignus beneficio.

*Quæstio*